



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

de superborum pœna. ca. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

ne, & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo, & proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem & pictus est in terram, & angeli eius cū illo missi sunt.

Iob. 4. De quibus in Iob dicitur: Et in angelis suis deus reperit prauitatem. in his videlicet, qui vna cum dracone in profundum deciderunt. Itaque etiam illi, q̄ eum sequuntur superbe & elate se gerendo, & sub potenti manu dei humiliari contemnēdo, eodem loci corruant necesse est.

Iohel. 2. Sordet enim vita eorum nauseamque facit domino, qui in superbiam eriguntur, Iohel propheta teste qui ait: Ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbe egit. Superborum igitur fœtor ascendit, quia dereliquerunt odorem humilitatis, fragrantiamq; virtutis, & elato incedentes supercilio aduersarij sequuntur vestigia, vt cum eo damnentur in die illa, quando visitabit dominus (vt Isaias inq̄t) in gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathan serpentem veterem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui in mari est. Qui enim nunc vel circa aera istum nubilosum vel circa terram hanc mortalium sedem versantur, tunc omnes in barathro tartari terribili atque horrendo cōcludentur. At tu si nolis cum his habere sortem, consortium quoque fuge superborum. Rarum est enim vt quis illorum mores non imitetur, quorum consuetudine vitur. Vnde Psalmista: Superbo oculo (inquit) & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Et scripturarum præcipuus illustrator Hieronymus noster: Nihil, inquit, a pueritia magis vitare conatus sum, quam tumentem animum & erectam ceruicem, dei contra se odia prouocantem. Ob hoc quoque superbos fuge, ne forte dum illis iungaris, cum ipsis simul turbine diuinæ vindictæ inuoluaris. Qui enim vitiosis libenter copulatur, licet moribus dissimilis sit, fauere tamen vitijs eorum videtur, & sicut a societate malorū non abhorret, ita minime mirum erit, si pœnæ quoque eorū particeps efficiat.

De superborum pœna.

Qualis autem superborum poena futura sit, præ-
 sentia demonstrant. nam si in vita quoque in-
 terdam grauissime plectuntur, haud dubium
 quin multo acerbiora passuri sint post mortem in infer-
 no, nisi decedentium comes fuerit humilitas. id quamquam
 ex his quæ diximus perspicue apparet, addamus tamen
 & alia quædam de scripturis, vt quo plures aduersus vi-
 tium istud sententias didicerimus, in euitando efficia-
 mur diligentiores. Per Isaiam superbis minatur domi-
 nus, dicens: Quiescere faciam superbiam infidelium, &
 arrogantiã fortium humiliabo. Et per Ezechielem: Ad-
 ducam (inquit) pessimos de gentibus, & possidebunt domos
 eorum, & quiescere faciam superbiam potentium, & pos-
 sidebunt sanctuaria eorum. Vtinam non de nobis ista
 exponi queant, quorum infideles Turci vicos, oppida,
 prouincias occuparunt, aras focosque prophanantes, nul-
 lo die cessant in reliqua Christianorum regna debaccha-
 ri, captiuos abducere, pecora deprædari, vastare agros
 cædibus grassari, & in nomen Christianum magis quã
 dici queat impie furere. Hoc perpetuo flagello nostra p-
 cutit superbia, & tamen adhuc humiliari negligimus.
 Infidelium arma sine intermissione sæuiunt, & sæuien-
 do prosperantur: quia Christiani principes inter se dis-
 sident, inter se digladiantur: & cum iunctis viribus com-
 muni periculo simul occurrere deberent, id agunt, vt fa-
 cilius quicquid reliquum est Christiani imperij, dissipe-
 tur, & in impiæ infidæque gentis veniat potestatem. Cæ-
 terum si quis hanc quam imminere cernimus calamita-
 tem effugerit, & tamen scelere atque superbia sese effe-
 re non desierit, nequaquam illam multo horribiliorem
 ærumnam effugiet, quam futuram Malchias denunciât
 dicens: Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt
 omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula,
 & inflammabit eos dies veniens, dicit dominus exerci-
 tum: quæ non relinquet eis radicem & germen, id est
 vllam conuersationis pristinæ spem. dicitur enim eis,

Isaiæ. 13.

Ezech. 7.

Malac. 4.

Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabo-
 lo & angelis eius. Vt videlicet superbi homines cū ipsis
 superbix spiribus crucient simul, oī prorsus q̄scen-
 di expectatione sublata. Plurimi tñ & añ in hoc seculo
 magnis afficiunt incommodis atq; angustiis, q̄ vel ipso
 rum supbia castigata submittat ceruices, vel aliorū ter-
 rita in humilitatem conuertatur. Quem superbum tūc
 non terruit Hierosolyma, vel cum olim a Chaldæis e-
 uersa est, vel cum postea a Romanis? De qua Isaias pro-
 phetauit, dicens: Dominus deus fortis incuruabit habi-
 tates in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit, humi-
 liabit eam vsq; ad terram, detrahet eam vsq; ad pulue-
 rem. Postremo a saluatore coarguta q̄ occideret, pphe-
 tas, & ad se corripendam missos lapidaret, audit, Ecce
 inimici tui circundabunt te vallo, & coangustabunt te
 vndiq; & ad terram prosternent te & filios q̄ in te sunt
 & non relinquent in te lapidem super lapidem. Quem
 arrogantem non paucfecit Babylon a Medis Persisque
 destructa? quod q̄dem immanitate eius atq; superbia of-
 fensus dñs futurę pdixit, cum ait: Visitabo super regem
 Babylonis, & super gentem illam iniquitatem eorum, &
 sup terrā Chaldæorū, & ponā illā in solitudines sempi-
 ternas. Hanc & Isaias lugere videtur, dicens. Descende,
 sede in puluere filia Babylon, sede in terranō est solū fi-
 liæ Chaldæorū. Idem alibi. Et erit Babylon, inqt, illa ci-
 uitas gloriosa, in regnis incluta, in superbia Chaldæo-
 rum subuersa, sicut iubuertit dominus Sodomam & Go-
 morrham, non habitabitur vsq; in finem, & non funda-
 bitur vsq; in generationes & generationes. Chaldæorū
 hæc metropolis erat, inter septem mundi spectacula a
 scriptoribus numerata, tanta ædificiorum magnificen-
 tia, vt pene incredibilia sint, quæ de illa narrantur.
 Muris costilibus cincta, Semiramis reginæ opus, cuius
 ambitus (vt Herodotus prodidit) sexagintaquatuor
 millium passuum erat, vt Strabo, trecentorum & octo-
 ginta stadiorum, quod pene idem est. Multo Babylone
 maiorem fuisse Ninum aiunt, quam nos Niniuen dici-

Hierusalē.
 Isa. 26

Luc. 19

Babylon

Ierc. 26

Isa. 47.
 Isa. 13.

mus, cuius ambitum trium dierum itinere constitisse, Ionæ prophetæ liber testatur. quam cum ille subuerten-
dam prædixisset, Niniuitæ penitentia humilitate ve-
niam impetrarunt. Postea vero cum ad pristinas super-
biæ sordes reuenterentur, quod ante timuerat, passi sunt
a Cyaraxe Medorum rege, regnante Hierosolymis Io-
sia filio regis Amon a seruis interempti. De ista Nini-
uæ vastatione prophetauerat Zacharias, dicens: Humi-
liabitur superbia Assur. Et Sophonias. Extendet domi-
nus manum suam super Aquilonem & perdet Assur, &
ponet speciosam in solitudinem & in inuium, & quasi
desertum. Paulo post. Hæc est (inquit) ciuitas gloriosa
habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo, ego
sum, & extra me non est alia amplius, quomodo facta
est in desertum, cubile bestia? Igitur ut taceam Moabi-
tas & Ammonitas, & quosdã alios potentia atq; opibus
quondam claros, ob hoc ipsum superbiæ crimen pene
deletos, omnes terrarum dominos hortor, cum talia
legerint de his, qui ipsis fortiores, opulentiores, viro-
rum armorumq; & rerum omnium copia maiores exti-
tere, tam subito cecidisse, ne sibi insolenter superbeq; cõ-
fidant, sed summi dei scita legesque contemnere metu-
ant, semperq; meminerint, solo illius nutu cælum ter-
ramque posse deficere, qui solus ut essent potuit facere.
Non eos extollat successus rerum, non erigant contra
inimicos victoria, non inflet imperij ampliatio. Audi-
ant psalmistam domino dicentem. Non enim in gladio
suo possederunt terram, & brachium eorum non salua-
uit eos, sed dextera tua & brachium tuum & illumina-
tio faciei tuæ. Nunquid igitur qui dare potuit, non po-
terit auferre cum voluerit? Nunquid quisquam valebit
resistere illi terribili, qui auferit spiritum principum, ter-
ribili apud reges terræ? Erit, inquit Isaias, for-
titududo vestra ut fauilla struppæ, & opus vestrum qua-
si scintilla, & succendetur vtrunque simul. Poten-
tissimus olim fuit Ozias Iudææ rex, Geth oppi-
dum destruxit, Iamnam & Azorum ædificauit, do-
muit Palestinos, Ammonitas pendere vctigal coegit,

Zach. 10

Soph. 2

Ibidem.

Psal. 43.

Psal. 75

Isai. 1.

Ozias.

2. Par. 26

erat exercitus eius duorum millium & sexcentorum principum, & sub his trecenta & septem millia viroꝝ bello fortium. Cum tamen insolenter elatus, & templum ingressus adolere incensum vellet, quod officium sacerdotum erat, continuo lepra perfunditur, redditurq; ineptus curæ & gubernaculo regni. In eius locum suffectio filio, vitam morte acerbioꝝ duxit. Sic igitur oculos superborum humiliat dominus: sic superbi ascendunt vsq; ad cælos, & descendunt vsq; ad abyſſos; sic humiliat dominus peccatoꝝ vsque ad terram. Excelsi ergo statura (vt Isaias ait) succidentur, & sublimes humiliantur. Iterum ait: Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ. Et rursum: Væ inquit, coronæ superbiam ebrijs Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius. Quid est enim aliud humanæ potentiam ostentatio nisi florum gloria, mane flores, vespere arescens ac defluens, & omnem penitus amittens decorem. Nullum terræ regnum perpetuum, neq; diuitiæ stabiles, neq; honor firmus. Cuncta caduca, fragilia, varia atq; mutabilia; in quibus hominum superbia dum caput atrollere nititur, dum se stare putat, corrui. Hoc est illud seremiæ lumbare, quo cum se p̄cingere vellet, nequiuit. Computruerat enim, & nullam vsui aptum erat, atq; hinc captata occasione dominus. Sic, inquit, putrescere faciam superbiam Iuda, & superbiam Hierusalem multam. Nemo igitur superbiat, quia omnipotens est qui auersatur superbos. Vnusquisq; humilietur, quia deus est qui humilibus dat gratiam dicente Baruch, ppheta: Constituit deus humiliate omnia montem excelsum & rupes penes, & cõualles replere in æqualitatem terræ. Dicente etiam deo ip̄o in Ezechiele ppheta, Ego dñs humiliavi lignum sublime, & exaltaui lignum humile, & siccaui lignum viride, & frõdere feci lignum aridum. Hoc idem alijs v̄bis exp̄sum est in euangelio, vbi dicitur, Omnis mons & collis humiliabit, & omnis vallis implebitur. Et iterum, Dispersit superbos dominus mente cordis sui, deposuit potentes de sede &

Isaiæ. 10

Isaiæ. 23

Isaiæ. 28

Jerem. 13

Baruch. 5

Ezech. 17

Luc. 3

exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Cæterum ibi quoq; terribiliter minatur superbis dominus, vbi ait, Et tu Capharnaum, nunquid vsq; in cælum exaltaberis? vsq; in infernum descendes. vt videlicet pœna delicto respõdeat, & quanto quis altius erigitur, tanto inferius labatur & corrumpatur. Hinc est ille angeli in Apocalypsi clamor, Quantum glorificauit se, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et cum hæc ita sint, nonne fidelissimo cuiq; ab arrogantia, fastu, atq; superbia maxime abhorrendum sit & enitendum, vt humilitatem, mansuetudinem, humanitatemq; sequatur? Id demum ita seruare poterit, si in omnibus ei qui omnibus præsidet, prærebit. Quam rem vt impensius præstet, nunc de ipsa obedientiæ virtute tractationem spiritu sancto fauente aggrediemur.

Mat. 13

Apoc. 18:

De obedientia deo præstanda.

Caput IX.

Primum omnium deo obediendum est, deinde aliis propter deum. Nemini autem in eo gerendus mos est, in quo offenditur deus. Omnia extrema prius perpetienda sunt, quam contra dei iussa, mandata, leges aliquid agendum. Nec vnquam dubitandum, quin illud bonum æquumq; sit, quod iussum a deo atq; constitutum fuerit. Cuius vnus sapientia nunquam errat, & bonitas nunquam a sui perfectione defleuitur. Cuiuscunq; igitur ita vt oportet de deo persuasum fuerit, non inquireret quare sic aut sic aliquid ille iubeat siue mandet, sed tantum quod imperatum est, id persequatur atq; perficere curabit. Abraham filium immolare iussus, non respondit quod in illo sibi promissum esset semen, quod in illo benedicendæ erant gentes. Credidit enim cuncta euentura quæ deus promiserat, etiam ipso mandato, in quo promissa ista implenda erant. Ideo tacitus maturabat quod iussum fuerat, perficere. Deniq; filium vnigenitum vnice dilectum, vt deo obtemperaret, suis interfecisset manibus, nisi is qui iusserat, rursus in

Gen. 22: